Einladung

zu den

auf den 16ten, 17ten und 18ten März 1853

angeordneten

öffentlichen Prüfungen und Redeübungen

der Schüler

des Catharineums in Lübeck,

von

Fr. Jacob,

Director und Professor.

Inhalt:
1) Ad Caroli Lachmanni exemplar de aliquot Iliadis carminum compositione quæritur, ser. Ad. Holm.
2) Étude sur André Chénier, par Ad. Holm.
3) Der Anhang enthält die vollendeten Lehrgegenstände der letzten zwei Jahre und die 47ste Fortsetzung der kurzen Nachrichten über das Catharineum.

Lübeck.

Gedruckt in der Rathsbuchdruckerei.

1853.

Hanc qualemcunque scriptionem, quam Hauptii, V. Cl. scholis ad haec studia incitatus jamdudum animo concepi, hodie virorum philologorum manibus tradere constitui. Quum Berolini degerem mihique ille ipse vir, cui plurimum ea quam tractaturus sum quaestio debet, Lachmannus, ut erat benevolo erga adolescentes animo, permisisset ut nonnunquam eum convenirem, dixi ei, me habere quaedam, quae de genuina Iliadis forma cum eo, judice optimo, communicare vellem. Sed opusculo nondum perscripto, morbo correptus vir ille doctissimus obiit. Itaque quae Lachmanno tradere non potui, ea nunc reliquis philologis tradere mihi liceat. Ii judicent, utrum nunnulla recte a me disputata esse videantur, nec ne; nam in his rebus numquam non errasse, id vix subtilissimis ingeniis, nedum mihi, concessum esse duco.

I.

Ac primum quidem de lib. III. nonnulla exponam, in quo et Helenam et Priamum e genuino carmine ejiciendos esse, recte, ut mihi quidem videtur, Lachmannus judicavit. De Helena mox dicam; nunc quae ad Priamum pertinent consideremus. Vv. 103-110, 116-120, 245-313 has ob causas, sicut Lachmannus, spurios duco. Postquam v. 73 Alexander jurisjurandi mentionem fecit, quo finita cum Menelao pugna utraque gens sese obstrictura esset ad pacem firmandam, vv. 103 sqq. ubi de *ὅρκοις* prorsus diversis et a n t e pugnam faciendis Menelaus loquitur, nonnullam movent admirationem. Quodsi vero postea vv. 269 sqq. legimus, quibus describitur universa jusjurandum patrandi ratio, et quoties hic sibi repugnent poetae verba diligenter consideramus (vid. Lachm. Betracht. p. 16) nonne pro certo fere affirmabimus, omnes illos locos, in quibus *ὅρκοι* a n t e pugnam reperiuntur, suppositicios esse? Sed non confirmare tantum ea quae Lachmannus sagacissime reperit, verum de ratione, qua universus l. III. compositus sit, pauca dicere mihi in animo est; qua in re prae ceteris vv. 245 sqq. attenta lectione dignos esse duco, quum in iis duo sint, quae ad argumentum nostrum pertinent.

Primum enim v. 256 legitur:

οἱ δ' ἄλλοι φιλότητα καὶ ὅρκια πιστὰ ταμόντες etc.

itaque non solum in genuinis sed etiąm in spuriis locis *ὅρκια* post pugnam reperiuntur, et hic ipse locus utriusque jurisjurandi mentionem continet. Existimo autem me docere posse quomodo hic locus factus sit, et unde singuli versus sumpti: 253 - 255 scilicet vv. 136 - 138 referunt, 256-258 vero vv. 73-75. Accedit, id quod nostrum locum ex illis consutum esse non mediocriter probat, quod vox *αὐτὰρ* v. 69 (cf. v. 68) et v. 136 (cf. v. 134) optime posita, v. 253 nihil habet, ad quod in praecedentibus referatur. — Jam igitur inter eos quos Lachmannus spurios judicavit locos, unum esse vidimus qui a reliquis eo differt quod utrumque jusjurandum, et illud quod ante pugnam et id quod post ipsam faciendum erat novit; vidimus quomodo ortus esse videretur: colligendis scilicet undique versibus et paucis mutationibus factis inter se conjungendis; nonne conjicere licet, hunc ipsum locum ad miscendas istas a Lachmanno tanta sagacitate discretas narrationes compositum esse?

Altera res, de qua dicturus eram quum per se nullam vim habeat, juncta cum iis quae modo tractavi, alicujus tamen momenti esse videtur. Est vox *τάμητε* quam v. 252 legimus. Nonne enim eo vel inter se differunt loci spurii, quod quum v. 105 de Priamo dictum sit: *ὄφρ' ὅρκια τάμνῃ αὐτὸς,* v. 271 sqq., Agamemnon solus sacra facit? v. 252 autem neque Priamo soli neque Agamemnoni sacra facienda traduntur, sed in universum omnibus. His de causis mihi quidem verisimile esse videtur, universum in quo Priamus arcessitur, locum ad conjungendas varias sibique repugnantes narrationes factum esse, primum ad conciliandum carmen ipsum cum versibus postea additis, deinde vero ad conjungendas duas hujus quoque loci partes. Tres igitur interpolati carminis partes erunt: 1) vv. 103-110 et 116-120: 2) quae a v. 267 videtur incipere, et quae vel alia quadam re ab altera illa differre videtur, *τιμὴν* enim et eam quidem gravissimam 285 - 291 addit. Has autem veterum carminum reliquias esse puto, quibus quum alterius initium solum, alterius vero nihil praeter finem extaret, et ad haec inter se conjungenda et ad universam *ὁρκίων* ante pugnam narrationem cum genuino carmine conciliandam tertia inserta est, qua quomodo Priamus ex urbe arcessitus sit, narratur.

Nunc de teichoscopia, quam dicunt, nonnulla addam. Primum, interpolatum hoc carmen esse, jam eo patet, quod falso loco insertum est negligentia ejus qui munus suscepit, singula carmina componendi. Quod enim v. 134 dictum est, exercitus

jam considere, id reliquo carmine refutatur, nam quum vv. 113–115 narratum sit, milites de curribus descendisse, v. 326 demum legimus:

οἱ μὲν ἔπειτ' ἵζοντο κατὰ στίχας

Sed ne ab uno quidem auctore universa profecta est teichoscopia; — introductio enim narratione ipsa multo pejor esse videtur. Venit ad Helenam Iris nuntia — a quonam missa? Est deorum nuntia, ni fallor. At coelestium neminem novi, cujus interesse possit, ut *γλυκὺν ἵμερον ἀνδρὸς προτέροιο* Helena animo concipiat; nam Venus, cui hae res curae esse solent, Paridi quam maxime favet. At interest interpolatoris ut moenia ascendat, ita enim inserere poterit ea quae habet fragmenta veteris teichoscopiae carminis. Sed ne illud quidem ex ingenio Homericae poeseos esse puto, quod Iris a nemine, qui quidem nominatus sit, missa in terram venit; nec id, quod haec ipsa Iris potestatem habet *γλυκὺν ἵμερον* mortali injiciendi, qua re Veneris jura magnopere laedere videtur. Neque vero difficile erat vv. 121 - 140 componere. Ad v. 121 cf. *B* 786, ad v. 124: *Z* 252, ad 125. 126: *X* 440. 441, ad 127: v. 131, ad 129: *B* 790, vv. 134 - 138 denique haud male ea referunt quae 68 sqq. exposita erant.

Haec fere de singulis dicenda erant: jam quae de tertio libro reperta esse videntur, complectar. Vetera carmina, carminumve partes esse censeo: primum quae de pugna dicuntur mentione jurisjurandi post pugnam faciendi adjecta (tertium Lachm. carmen); secundum duas carminum paullulum inter se diversorum partes quae jusjurandum ante pugnam faciendum habent; tertium teichoscopiam, quae fere a v. 140 incipit. Haec carmina habuisse judico eum, qui tertium librum in eum, quem nunc habemus ordinem redegit, qui quum parum apte difficultatibus recte perspectis mederetur, et teichoscopiae introductionem et Idaei apud Priamum verba adjecit. Tam aperte tamen utrumque locum ex aliorum locorum verbis composuit, et quibus in uno usus erat, ea in altero repetiit (136 - 138 = 253 - 255); tam male adaptavit aliunde sumpta novo loco (cf. *αὐτὰρ* v. 253); tam male denique teichoscopiam collocavit, ut, quod nobis optatissimum evenit, non difficile sit ejus artes perspicere, perspectasque repudiare.

II.

Hac quaestione de quinto quod Lachmannus constituit, carmine agam; quo quum aliorum, tum maxime Diomedis res gestae narrantur. Conspicitur primum initio l. *E*, ubi ingenti robore ab Athena imbutus, Phegeum interficit et Trojanorum aciem turbat; mox vero, a Pandaro humerum sagitta percussus, iterum Athenae auxilium

implorat, quae eum renovatis viribus in proelium remittit. Tum vero mira pugnat fortitudine, Pandarum interimit, Aeneam, Venerem, Apollinem, Martem vehementissime urget. Inserta sunt aliorum quoque heroum pugnae ac fortia facta, ita tamen ut semper ad Diomedem narratio redeat et mirabilis ipsius cum Marte pugna universi carminis finem constituat. Aptissime igitur jam a veteribus hoc carmen *Διομήδους ἀριστεία* nuncupatum est. Sed non tam late patuit veteribus Diomedis aristeia, ut ea omnia complecteretur quae Lachmannus quinti carminis nomine comprehendit; immo vero eam ipsius partem quae Diomedis res gestas praecedit ab altera sejunxerunt et quarto libro addiderunt. Lachmannus contra inde a *Δ* 422 usque ad *Z* init. unum carmen continuavit. At quaeritur, num veri simile sit, tam longum (1032 vv. cont.) tamque variis ornatum episodiis carmen simplici illo tempore ab uno poeta cantatum esse, cui rei quum jam Hauptius mederi studuerit, haud ita paucos versus ejiciendo, nos quoque mederi studebimus, ea quae restant diligenter examinando quaerendoque utrum omnia recte huic carmini adnumerentur nec ne. Medias statim in res lectorem abripiam, inspiciamque vv. 596-702 lib. *E*. Videt Diomedes, Martem sub hominis specie Trojanorum aciei adesse, statimque terrore perculsus suos proelio desistere, retro cedere, abstinere a pugna cum diis jubet (-606). Jamque Trojani adsunt; Hector Graecorum duos viros interficit, Ajax Trojanorum unum. Tlepolemus cum Sarpedone pugnam committit, et postquam Sarpedoni grave vulnus inflixit, ipse cadit. At vv. 699-702 dicitur: Graeci Marti et Hectori nullo modo resistebant sed retro cedebant, ex quo Martem Trojanis adesse edocti erant. A quonam edocti? A Diomede, qui solus (cf. v. 127. 128) deos dignoscere poterat, humana specie indutos. Sed multo antea (vv. 604-606) Graeci hoc a Diomede edocti erant. Itaque falso vv. 701. 702 Graeci dicuntur non restitisse ex quo de Marte apud Trojanos praesente certiores facti erant. Nam resistunt vv. 607-699, Ajax Trojanorum unum interficit et v. 627 poeta dicit:

ὣς οἱ μὲν πονέοντο κατὰ κρατερὴν ὑσμίνην

Nonne patet, vv. 607-699 suppositicios esse?

605 *ἀλλὰ πρὸς Τρῶας τετραμμένοι αἰὲν ὀπίσσω*
εἴκετε, μηδὲ θεοῖς μενεαίνεμεν ἶφι μάχεσθαι.
ὣς ἄρ' ἔφη, Τρῶες δε μάλα σχεδὸν ἤλυθον αὐτῶν.
699 *Ἀργεῖοι δ' ὑπ' Ἄρηι καὶ Ἕκτορι χαλκοκορυστῇ* etc.

Transeo ad alterum locum, in quo quid suppositicium judicem, statim dicam. Sunt vv. 508-593. Lego ita:

506 ἀμφὶ δὲ νύκτα
θοῦρος Ἄρης ἐκάλυψε, μάχῃ Τρώεσσιν ἀρήγων,
594 αὐτὸς δ' ἐν παλάμῃσι πελώριον ἔγχος ἐνώμα etc.

vv. 506. 507 jam Hauptius spurios judicavit qui v. 512 simili nostrae conjecturae mutatione facta pergit: Φοῖβος δ'. Causa autem, ob quam universum hunc locum spurium judico, gravissima in ultimis versibus 589-596 posita est. Menelaus et Antilochus quum Pylaemenem ejusque aurigam vicissent, Antilochus captum currum in Graecorum exercitum vehit. Hos Hector videt (590) et magno cum clamore aggreditur. Quid vero Menelaum et Antilochum fecisse censebimus, postquam se ab Hectore invadi viderunt? dicemusne eos restitisse Trojanis an fugisse? Immo vero omnino non videntur adesse, quoniam ne verbo quidem commemorantur. Et qui fit, ut Martem nunc demum Diomedes videat, v. 519 inter eos nominatus qui Graecorum ductores erant? cur Hector et Mars tamdiu Graecos aggredi cunctantur?

Videntur autem omnia turbata esse. Vv. 533-590 Graeci cum Trojanis qui eos Marte auctore (v. 518) aggressi erant, pugnant; Mars vero cum Hectore inde a v. 590 demum in proelium it. V. 607 autem poeta dicit:

Τρῶες δὲ μάλα σχεδὸν ἤλυθον αὐτῶν.

Hoc non suo loco dictum esse, quum jam magna Trojanorum pars dimicaverit, quis est qui non videat? Sed omissis iis, quos spurios duco versibus, quam lucida evadit narratio! Postquam 443 Diomedes Apollinis minis cessit, Apollo a Marte petit ut Diomedem e proelio removeat. Hoc ut faciat, Mars (461) sub hominis specie Trojanos adit, et ad pugnam impellit. Hector Sarpedonis quoque verbis ad pugnandum excitatur, Mars autem atra nocte Trojanos tegit et ipse armatus Hectori praesidio adest. Tum Diomedes, dei aspectu territus, contremiscit et Graecis ut Marti cedant suadet, qui cum Trojanis propius propiusque accesserat. — Haud indignum esse videtur mentione, vv. 590. 591 eosdem fere esse ac Λ 343. 344, v. 596 vero cum Λ 345 convenire; ita ut non difficile fuerit ante v. 596 eos inserere versus qui in Λ libro eadem verba praecedebant. — Sic duobus inductis episodiis (508-593, 607-699) simplicior reddita est Διομήδους ἀριστεία. Sed restant alia quaedam in hoc carmine episodia, quorum illud quod vv. 9-83 continetur, paulla accuratius consideremus.

In hoc proelio Diomedes ipse Phegeum quidem interficit, sed quum reliqui Graecorum duces non minus fortiter pugnent, quaeri posse censeo, num illa Diomedis victoria tanto hiatu (v. 1 - 8) digna sit? Equidem non possum quin universum hoc proelium alienum censeam a Diomedis aristeia; id quod maxime ex uno quodam loco colligere posse mihi videor. Vv. 832 - 834 Minerva Diomedi narrat, Martem promisisse, se non Trojanos sed Graecos in illa pugna adjuturum esse. Qui vero *E* 30 sqq. scripsit, ejusmodi promissum omnino non novit. Est sane mira fictio, Martem Graecis auxilium pollicitum esse (praeter Diomedis aristeiam hanc fabulam Achillis tantum exhibet aristeia *Φ*. 413. 414.) sed eo minus fieri potuit ut poeta qui id aut invenisset aut recepisset, ipse ejus oblitus esset.

Magis magisque igitur ex ingenti illo quinto Lachmanni carmine carmen prodit, in quo tam versuum numerus quam argumentum certis terminis circumscripta sunt. Tribus autem locis, qui de aliis heroibus agebant, ab *ἀριστείας* auctore abjudicatis, num dubitabimus audacter effari, jamjam sufficere, si quis locus aliorum tantum heroum, non Diomedis mentionem contineat, ad eos versus suppositicios judicandos? Huc finis l. *Δ*. pertinet, quem a Diomedis *ἀριστείᾳ* alienum esse puto. Simillimus sane est ea, qua res gestas narrat ratione quinto libro; sed haud scio an iis locis quos ab interpolatore additos esse judicavimus, similior etiam sit quam reliquis. Neque vero prorsus absurdum esset, si quis omnes hos locos pro fragmentis unius veteris carminis haberet. Huc igitur pertinerent *Δ* 422 – 538, *E* 1 - 8 (verisimile enim est, hos versus eorum qui sequuntur, sortem sequi), deinde fere 519 - 589 et 608 - 698. Sed haec minoris momenti sunt.

III.

Pergo ad carmen sextum (*Z* 2. - *H* 312.) quod cum quinto non cohaerere Lachmannus judicat (p. 22.). Sed primum valde mirandum est, qui fiat ut Helenus Hectorem in urbem mittat ad Minervae auxilium implorandum contra Diomedem. Quidnam in novo carmine a Diomede factum est, quod tantum terrorum Heleno possit injicere? Interficit Axylum et Calesium, sed Euryalus quatuor hostes necavit et Diomedes ne *πρόμαχος* quidem est. Aiax enim *πρῶτος*

Τρώων ῥῆξε φάλαγγα, φόως δ' ἑτάροισιν ἔθηκεν.

Patet igitur, in novo carmine vv. 5 - 72 ita initium facere non posse ut Heleni oratio sequatur; sed ad hanc ipsam orationem intelligendam et istos versus ex initio carm. VI. tollendos et censendum esse aut interiisse genuinum hujus carminis initium — quo nimirum admirabiles narratae essent Diomedis pugnae — aut simile quinto

carmen eorum mentibus obversatum fuisse qui c. VI. audiebant. Sed omissis vv. 5-72. non omnes sublatae sunt ex carmine sexto difficultates. Nam quum Diomedes Trojanos fugaret, Hector Heleno auctore in urbem redit et Minerva mulierum precibus aditur ut Diomedis impetum cohibeat. At *ἀνένευεν* v. 311; non igitur cohibet Diomedis impetum. Aristarchus v. 311 delevit; sed nihilominus Minerva, Graecorum fautrix, Trojanarum mulierum preces non exaudisse censenda est. Quid igitur Diomedes faciet? pergetne Trojanos urgere? Immo Hector, qui antea Diomedi resistere non potuerat, postquam cum Alexandro — homine haud ita forti — ex urbe revertitur, Graecos mirum in modum fugat; vincunt Trojani. Tam poeta quam Minerva Diomedis omnino obliviscuntur, et dea — nescio quam ob causam — eo adducitur, ut novum Graecis ubique fugatis remedium quaerat. Hector ad *μονομαχίαν* cum Graeco aliquo heroe excitatur. Evocat fortissimum. Jam non amplius mirabimur cur non statim prosiliat Diomedes — consedit enim furor ejus — sed nonne in universum ratio qua ad continendum carmen VI. Diomedes ab auctore adhibetur, summam movere debet admirationem? Primum terrere dicitur Trojanos, quamquam nihil facit, quod non alii idem faciant; sed hoc terrore efficitur ut Hector in urbem redire et uxorem suam convenire possit. Quo facto non amplius mentio fit Diomedis. Equidem poetae qui res, sexto Lachmanni carmine narratas, bene narrare voluisset, haec fere exponenda fuisse existimo. Primum nobis Diomedem Trojanorum exercitum fugantem monstrasset; deinde, Hectore Trojam misso, quomodo factum esset, ut Diomedes e proelio cederet, narrasset. His bene expositis, non fuisset quod miraremur, Hectorem atque Alexandrum Graecos vincere, Minervamque coactam esse ut novas artes quaereret. — His autem monstratum esse existimo, sextum Lachmanni carmen unum esse non posse; deest enim ea quae necessario rerum gestarum nexu efficitur unitas. Sunt tria carmina, quae tamen simillima inter se sunt ob rationis qua in narrandis diversissimis rebus utuntur, similitudinem. Itaque Lachmanno assentiemur qui (p. 22) mite quoddam carm. VI. ingenium tribuit, modo excipiamus *Z* 5-72, ubi Agamemnonis crudelitas quam poeta verbis *αἴσιμα παρειπών* probat, diversissimam auctoris mentem monstrare videtur. Tria autem carmina haec erunt: 1) *Z* 73-118 et 257 usque ad finem fere libri. Hector in urbem redit, et cum uxore colloquitur. 2) *Z* 119-236. Glauci cum Diomede congressio. 3) *H* fere inde a v. 45 usque ad v. 312. *Ἕκτορος καὶ Αἴαντος μονομαχία.*

Jam de singulis carminibus nonnulla dicam. Primum autem is, qui carmen de Glauco et Diomede fecit, lib. *E* non habuisse videtur; nam Diomedes quum *Z* 123-

143 longa oratione Glaucum interroget, num forte deus sit, ea prorsus caret facultate, quam ei *E* 127 Minerva dederat. Deinde vero nonnihil interesse videtur ad primi carminis naturam melius cognoscendam ut Hectoris verba quibus Andromacham consolatur, praecipue inde a v. 447 accuratius inspiciamus, comparemusque cum Agamemnonis, Menelaum alloquentis *Δ* 155 sqq. oratione, quae inde a v. 163 nostrae tam similis est ut aut ab eodem hae orationes factae sint auctore aut altera alteram imitetur. Conf. *Z* 447 sqq. cum *Δ* 163-165; conf. *Z* 450 sqq.:

ἀλλ' οὔ μοι Τρώων τόσσον μέλει ἄλγος ὀπίσσω — —
455 *ὅ σ σ ο ν σ ε ῦ*

cum *Δ* 168 sqq.:

τὰ μὲν ἔσσεται οὐκ ἀτέλεστα,
ἀλλά μοι αἰνὸν ἄχος σ έ θ ε ν ἔσσεται

conf. denique *Z* 459 sqq. cum *Δ* 176 sqq.

Quum tamen poetam se ipsum ita exscripsisse, parum verisimile sit, mihi quidem alter locus alterius imitatio esse videtur. Quodsi de talibus rebus, satis haud dubie obscuris, conjecturam facere liceat, possit fortasse aliquis contendere, locum illum in Agamemnonis oratione melius legi quam in Hectoris. Alia omitto, sed videtur etiam Andromachae quae praecessit, orationi, alienus adjectus esse finis. Versus enim 433-439 quum per se satis miri sunt, tum vel sententiarum nexum, ni fallor, turbant. Dicit Hector v. 441:

ἦ καὶ ἐμοὶ τ ά δ ε π ά ν τ α μέλει, γύναι, ἀλλὰ μάλ' αἰνῶς
αἰδέομαι Τρῶας

quae ad ea tantum referri possunt quae ante v. 433 leguntur. Sed omissis vv. 433-439 et 447-465 legamus:

431 *„ἀλλ' ἄγε νῦν ἐλέαιρε καί αὐτοῦ μίμν' ἐπὶ πύργῳ,*
μὴ παῖδ' ὀρφανικὸν θήῃς χήρην τε γυναῖκα."
440 *τὴν δ' αὖτε προσέειπε μέγας κορυθαίολος Ἕκτωρ*
„ἦ καὶ ἐμοὶ τάδε πάντα μέλει, γύναι· ἀλλὰ μάλ' αἰνῶς
αἰδέομαι Τρῶας καὶ Τρῳάδας ἑλκεσιπέπλους,
αἴ κε κακὸς ὣς νόσφιν ἀλυσκάζω πολέμοιο.
οὐδέ με θυμὸς ἄνωγεν, ἐπεὶ μάθον ἔμμεναι ἐσθλός
αἰεὶ καὶ πρώτοισι μετὰ Τρώεσσι μάχεσθαι,
ἀρνύμενος πατρός τε μέγα κλέος ἠδ' ἐμὸν αὐτοῦ."
466 *ὣς εἰπὼν οὗ παιδὸς ὀρέξατο φαίδιμος Ἕκτωρ.*

Nonne haec et simplicia sunt et pulchra? Monet uxor Hectorem, ne obliviscatur infantis et sui ipsius. Hector vero respondet: An mihi curae nec te nec puerum esse censes? Sed laudis et patriae amor in pugnam me vocat, simulque, ultimis Andromachae verbis, quibus Astyanactem patri in memoriam revocaverat, commotus, filium in manus accipit et osculatur. Nonne, ut nunc omnia leguntur, inter Astyanactis mentionem (v. 432) et v. 466 permulta interjecta sunt quae simplicem rerum verborumque nexum turbant? Sed ut jam dixi, nihil affirmo.

Haec habui quae de primo et secundo carmine dicerem, jam ad tertium pergo. De eo Lachmannus p. 22 dicit: „Bei dem zweikampf zwischen Hektor und Aias ist nirgends eine beziehung auf den des Menelaus und Paris — also die erinnerung an das dritte und vierte lied zeigt sich eben nicht stark im sechsten.“ Recte, simillima tamen sunt haec duo, in quibus *μονομαχίαι* narrantur, carmina. Conferantur versus: *Η* 50. 51 cum *Γ* 19. 20; *Η* 49 cum *Γ* 68; *Η* 54-56 cum *Γ* 76-78; *Η* 66. 67 cum *Γ* 85. 86; *Η* 92. 94 cum *Γ* 95. 96. Post interjectos fere centum versus redeunt in sortitione similitudines; ad *Η* 171 sqq. cf. *Γ* 316, ad *Η* 176 cf. *Γ* 316 (uti fortasse non *πάλλον* sed *βάλλον* legendum, cf. *Γ* 324; ceterum *Ψ* 861 versus ille 316 sicut nunc legitur adhibitus esse videtur) ad *Η* 181. 182 cf. *Γ* 324. 325. Et in *Γ* libro et in *Η* duarum precationum mentio fit. In ipsa denique pugna, quod ad rem attinet, cf. *Η* 244 cum *Γ* 346; *Η* 248. 249 cum *Γ* 349-355, quod vero ad verba, inverso ordine *Η* 244 cum *Γ* 355 et *Η* 249 cum *Γ* 346; cf. denique *Η* 250-254 cum *Γ* 356-360 et *Η* 259 cum *Γ* 348. Apparet igitur eum qui alteram scripsit narrationem, alteram novisse, qua tamen re Lachmanni verba, antea a me laudata, non infirmantur.

His quae de sexto Lachmanni carmine exposui, addere mihi liceat pauca de libri *Ζ* initio verba. Primum ea, quae de Ajace dicuntur, ex iis sumpta esse videntur, quae quinti (Lachm.) carminis initio de Antilocho narrantur. Cf. *Ζ* 5. 9-11 cum *Δ* 457. 459-61:

Ζ 5 *Αἴας δὲ πρῶτος* — —
9 *τὸν ῥ' ἔβαλε πρῶτος κόρυθος φάλον ἱπποδασείης* etc.
Δ 457 *πρῶτος δ' Ἀντίλοχος Τρώων ἕλεν ἄνδρα κορυστήν*
459 *τὸν ῥ' ἔβαλε πρῶτος κόρυθος* etc.

Pugna porro, illi quae inde a v. 37 Menelao cum Adrasto est simillima *Δ* 122 sqq. narratur; ad *Ζ* 46-50 cf. *Δ* 131-135. Accedit, quod vv. 61. 62 etiam *Η* 120. 121

reperiuntur, ubi rectius Agamemnonis verba *αἴσιμα* vocantur; accedit id quoque, quod in *Α* libro Agamemnonis crudelitas excusationem habet quam non habet nostro loco.

Haec omnia me movent ut *Z* 5 - 72 nec pro vetere carmine, nec pro carminis fragmento habeam.

IV.

Jam diu intellexerunt viri docti, decimum Iliadis librum non arcte cohaerere cum reliquis carminibus, sed epyllion, ut ita dicam, esse, summa arte factum elaboratumque. Quod quum mihi quoque persuasum esset, quaerebam num forte ex linguae quoque rationibus probari posset recte doctissimos viros hunc librum a reliquis sejunxisse, reperiebamque quum alia quae tamen minoris momenti sunt, tum unum quod satis memorabile videbatur. Quum enim apud posterioris aevi scriptores proprium armorum vocabulum sit *ὅπλα*, in Iliade, quae arma canit, non nisi rarissime *ὅπλων* vox arma significat. Loci sunt *Θ* 55, *K* 254, 272, *Σ* 614, *T* 21, *Ψ* 26; quibus locis si addideris Od. *ω* 495 omnes, nisi egregie fallor, habebis, in quibus vox *ὅπλα* pro armis usurpata sit. Horum primus init. lib. *Θ* legitur; de quo carmine cf. Lachm.' p. 23. 24; quod judicium ut insigni aliqua re fulciam, quadringentorum viginti versuum, quibus constat, centum et quadraginta alibi quoque reperiri, facile demonstrari posse addo; id quod non a me ipso repertum esse fateor. Qui autem in *Σ*, *T*, *Ψ* libris reperiuntur loci, ad carmina pertinent, quae aliis rebus commotus minime cum reliquis comparari posse Lachmannus p. 80 judicavit. In ejusmodi autem carminibus et in *K* libro solis vox *ὅπλα* pro armis usurpatur. Nonne inde colligere licet, sicut *Θ* libro, ultimisque Iliadis libris, ita etiam *K* libro posteriorem quam reliquis originem tribuendam esse? Addo, quod, quum ii ipsi libri, qui *ὅπλα* non pro armis usurpant, voce *ὁπλότερος* tamen utantur, hoc eorum fortasse opinionem confirmare possit qui *ὁπλότερος* non ab armis sed a sequendo deducunt. — Liceat minora addere. Qui Iliadem, sicut Lachmannus, ex multis complurium, haud dubie, poetarum carminibus compositam esse censebunt, eorum interesse debebit, ut quae singulis carminibus propria sint, quam maxime perspiciant. Proprium est *K* lib.: *νύξ ὀρφναίη* (v. 84, 276, 386), singularia armorum nomina: *κτιδέη* 335, 458; *λυκέη* 459; *καταῖτυξ* 258; *πῖλος* 265; formula *καμάτῳ ἀδηκότες* (98, 312, 399, 471) abstracta *δόσις* et *φύξις* (213, 311, 398, 447). Haec habui quae de Doloneia dicerem.

V.

Il. *Λ* 1 — *O* 591.

Nusquam fere Lachmannus eum qui nunc est versuum ordinem tantum immutavit, quantum in iis libris fecit, qui inde a *Λ* 1 usque ad *O* 591 leguntur. Constituit autem quinque carmina, X, XI, XII, XIII, XIV, quam rem quum in universum probem, nonnulla tamen sunt de quibus aliter quam Lachmannus fecit, judicaverim. Ac primum quidem de decimo carmine dicam.

1) Videor autem mihi docere posse, Lachmannum eo quod decimum carmen, *Λ* 557 interruptum, *Ξ* 402 satis ingeniose continuat, errare et carmen illud ultra *Λ* libri fines extendi non posse (vid. Lachm. p. 41). Legitur *Ξ* 409 - 411:

τὸν μὲν ἔπειτ' ἀπιόντα μέγας Τελαμώνιος Αἴας
χερμαδίῳ, τά ῥα πολλά, θοάων ἔχματα νηῶν
πὰρ ποσὶ μαρναμένων ἐκυλίνδετο etc.

Apud naves igitur Graeci cum Trojanis pugnant, cf. etiam *O* 248 et 565 sqq. Itaque necesse est, ut in ea quoque carm. X parte quae in libro *Λ* reperitur, apud naves Graeci pugnent; nam inter *Λ* 557 et *Ξ* 409 nihil est in carm. X nisi *Ξ* 402 - 408; hic vero Graeci ad naves cessisse non dicuntur. At id fieri nullo modo potest. Inde a *Λ* 48 Graeci, fossa trajecta, in aperto campo pugnam committunt, neque usquam dictum esse reperio eos usque ad naves retro fugisse. Quodsi vero *Λ* 557 Ajax non apud naves pugnat, fieri non potest, ut *Ξ* 402 sqq. ad idem carmen pertineat. Et quidni Hermannum secuti, carmen illud *Λ* libri fines non excedere judicabimus? Eae autem carminis decimi partes quae ad hoc carmen pertinere non possunt, ad decimum tertium carmen pertinebunt, de qua re mox plura dicturus sum.

2) Jam ad undecimum carmen pergo, de quo quae Lachmannus (p. 45 - 47) dicit, me probare non posse fateor. Quod enim primum affert in hoc carmine portam male in sinistra navium parte positam esse (*M* 118, 120) quum in *N* libro (312, 681) ante medias naves sit; quodque hanc ob rem suspectum esse illum carm. XI. locum existimat, in hoc mihi nimis severus esse videtur. Equidem hac re differre dicerem undecimum carmen a duodecimo, sicut antea quartum carmen (Lachm. p. 19) a tertio hac una re diversum erat, quod quum tertium semper exhiberet: ὑπὲρ ὅρκια δηλήσασθαι quartum aliis verbis ad eandem rem exprimendam utebatur. Neque magis eam quam huic addit, rationem probo, non satis aptum esse, quod postquam Asius v. 121 portam reperit apertam, Polydamas (340) eandem jam clausam esse noverit. Quasi vero tales portae non saepius clausae sint quam apertae! Accedunt aliae quoque res quae quo-

minus Lachmannum sequar, impediunt. Primum enim valde languidum mihi esse videtur quod id quod vv. 106. 107 dictum est, jam vv. 125. 126 repetitur; qua in re vitium augeri patet, si vv. 118-124 delentur. Deinde vero ne in sequentibus quidem id quod Lachmannus constituit carmen omnibus caret difficultatibus. V. 118 Asius sinistram navium partem aggreditur, ubi Lachmannus portam non esse putat; recte igitur v. 154 eodem hoc loco Graeci de moenibus pugnant; sed qui fieri potest, ut ibidem v. 182 sqq. Leonteus et Polypoetes ante moenia sint? Non, puto, moenia transiluerunt, itaque portam ibi fuisse patet. — Ego, ut verum fatear, alia re offendor. Suaserat Polydamas, ut Trojani de curribus descenderent; quod consilium non solum Hector sequitur, verum etiam reliqui Trojani, v. 82:

οὐδὲ μὲν ἄλλοι Τρῶες ἐφ' ἵππων ἠγερέθοντο,
ἀλλ' ἀπὸ πάντες ὄρουσαν,

Mox ii qui descenderant, in quinque partes distributi Hectorem sequuntur. Tertiam Asius ducit. Quis, qui haec attente legerit, postea poetam feret narrantem: tunc reliqui Trojani consilium illud secuti sunt, excepto Asio. Qui me audit, vv. 82 - 107 delebit et leget

80 *ὣς φάτο Πουλυδάμας, ἅδε δ' Ἕκτορι μῦθος ἀπήμων,*
αὐτίκα δ' ἐξ ὀχέων σὺν τεύχεσιν ἆλτο χαμᾶζε.
108 *ἔνθ' ἄλλοι Τρῶες τηλεκλειτοί τ' ἐπίκουροι*
βουλῇ Πουλυδάμαντος ἀμωμήτοιο πίθοντο·
ἀλλ' οὐχ etc.

Sic libenter carebimus illa, quam supra vituperavimus, duorum versuum repetitione; restituemus autem aptam inter Asium et Hectorem Polydamantemque oppositionem. Ut enim nunc omnia leguntur, quinque partium in quas Trojani dividuntur, duabus tantum tribusve poeta utitur; primum Asii agmine, deinde Hectoris atque Polydamantis exercitu, qui v. 196 iisdem illis verbis introducuntur quibus antea (v. 88) a quatuor reliquis distincti erant. Secundae certe et quartae partis nusquam fit mentio. Iis qui me sequentur

οἳ Πουλυδάμαντι καὶ Ἕκτορι κοῦροι ἕποντο

omnes erunt Trojani, excepto tantum Asio ejusque militibus; id quod unice rectum esse puto. — Unum etiam habeo quod ad emendandum pulcherrimum carmen conferre posse mihi videar. Pertinet ad vv. 340 et 341 quos spurios esse existimo. Quodsi genuini essent, soli contra Lachmannum litem darent, quum plures fuisse portas dicerent. Sed hoc ipsum hunc locum suspectum reddit; nam ceteris omnibus locis unius tantum

portae mentio fit, eaque quae v. 119 leguntur, hic tantum portam fuisse, haud ambigue indicant. Accedit, quod mihi quidem post *τε καί* v. 339 *καὶ πυλέων* v. 340 languere videtur. Sed, ut jam dixi, si vv. 340, 341 genuini sunt, vel ipsi contra Lachmannum pugnant, qui nisi ante medias naves portam fuisse negat.

3) De duodecimo carmine nihil habeo quod a Lachmanno disputatis (p. 48-51) addam.

4) Jam ad carmen decimum tertium accedo, quod decimi spoliis auctum iri antea dixi. Qua in re non magnopere Lachmanno adversor qui et ipse decimum tertium carmen ad decimum confugere jussit, ita tamen ut non decimum spoliaret, sed a decimo nonnullos versus mutuos sumeret. Dicit enim (p. 54): „Uebrigens konnte von dem zehnten liede soviel als den zuhörern lieb war hinzugesungen werden" — qua in re illud tacet quod non solum ad decimum, sed etiam ad decimum quartum confugere debet. Quod ut intelligatur, de decimo tertio carmine paullo uberius agendum erit. Incipit, id quod sagacissime Lachmannus vidit, *N* 345. In hoc libro usque ad v. 360 continuatur, deinde versus *Ξ* 153-369 eaque quae inde a *Ξ* 389 leguntur, ad idem carmen pertinent; neque quidquam prohibet, quominus *Ξ* 402 sqq., quae a decimo carmine sejungenda esse antea vidimus, ad decimum tertium pertineant. Itaque omnia quae usque ad finem libri leguntur, in eodem carmine erunt, nisi quod de versibus 508-522 dubitandum sit. Mihi quidem hi versus omittendi esse videntur, quibus eas ipsas res narrari censeo, quae jam *Ξ* 440 sqq. descriptae erant. In quo ne id quidem silentio praetereundum esse videtur, quod *Ξ* 521 Jovis minus nisi fallor apte mentio fit, quo scilicet invito tota haec pugna a Neptuno excitata erat. Nihil autem desideraretur, si omissis versibus *Ξ* 508-522 sic legeremus:

506 *ὣς φάτο, τοὺς δ' ἄρα πάντας ὑπὸ τρόμος ἔλλαβε γυῖα,*
πάπτηνεν δὲ ἕκαστος ὅπῃ φύγοι αἰπὺν ὄλεθρον.
O 1 *αὐτὰρ ἐπεὶ διά τε σκόλοπας καὶ τάφρον ἔβησαν* —

Sed nihil affirmo.

Transeo ad librum *O*, ubi primum quidem ea quae apud Lachmannum in carmine decimo leguntur, secundum nostram opinionem ad decimum tertium pertinere, breviter moneo. At carmine decimo ex libro *O* rejecto, quum Lachmannus eam tantum ob causam nonnullos locos in quartum decimum carmen relegaverit, quod non satis apti sunt in decimo (p. 42), non video, cur non et ipsos addere liceat

carmini decimo tertio, dummodo nihil contineant, quod cum reliquis hujus carminis partibus pugnet. Quibus praemissis jam l. *O* accuratius inspiciamus.

Hic inde a primo versu Trojani trans fossam retro pelluntur, quod quum Juppiter videt, iracundia inflammatus, Junonem arcessere jubet Irim atque Apollinem. Apollini imperat, ut Hectoris saluti consulat, Iris ad Neptunum e proelio revocandum mittitur. Inde a v. 236 Apollo ad Hectorem accessisse narratur, qui viribus revocatis pugnam repetit. Praecedit eum Apollo aegide armatus, quam nunc concutit, nunc immotam tenet. Immota aegis facit, ut aequo Marte Graeci Trojanique pugnent, concussa vero, ut Trojanorum res superior evadat. Legitur autem inde a versu 323:

οἱ δ' ὥς τ' ἠὲ βοῶν ἀγέλην ἢ πῶν μέγ' οἰῶν
θῆρε δύω κλονέωσι μελαίνης νυκτὸς ἀμολγῷ,
ἐλθόντ' ἐξαπίνης σημάντορος οὐ παρεόντος,
ὣς ἐφόβηθεν Ἀχαιοὶ ἀνάλκιδες· ἐν γὰρ Ἀπόλλων
ἧκε φόβον, Τρωσὶν δὲ καὶ Ἕκτορι κῦδος ὄπαζεν.

Hos versus in eodem carmine, id quod Lachmannus voluit (p. 43), versus *O* 515 sqq. excipere non possunt, quibus tres Trojanos et duos Graecos cecidisse refertur. Qui enim dixit: *ἐφόβηθεν Ἀχαιοὶ ἀνάλκιδες*, Trojanos plenam victoriam reportavisse haud dubie existimavit. Quamobrem versibus 328 sqq. carere non possumus, quos cur Lachmannus repudiaverit, non satis intelligo. Dicit (p. 43): „Jetzo müssen nothwendig einzelne kämpfe folgen: aber dafs in den nächsten nur Troer siegen, ist unrichtig, weil ja der Gott die ägis auch still hielt 318 und sie nicht immer schüttelte.“ At Apollo eam ipsam ob rem a Jove missus erat ut Trojanos adjuvaret, id quod, nisi concussa aegide, fieri non potuit; itaque quamquam v. 318 dictum est, quomodo, aegide immota, pugnatum sit, et res ipsa docet eam mox ab Apolline concussam esse, et verborum decursus idem ut judicemus, cogere nos videtur.

318 *ὄφρα μὲν αἰγίδα χερσὶν ἔχ' ἀτρέμα Φοῖβος Ἀπόλλων,*
τόφρα μάλ' ἀμφοτέρων βέλε' ἥπτετο, πῖπτε δὲ λαός·
αὐτὰρ ἐπεὶ κατένωπα ἰδὼν Δαναῶν ταχυπώλων
σεῖσ', ἐπὶ δ' αὐτὸς ἄυσε μάλα μέγα, τοῖσι δὲ θυμὸν
ἐν στήθεσσιν ἔθελξε, λάθοντο δὲ θούριδος ἀλκῆς.

Nonne verbis: *αὐτὰρ ἐπεὶ* id quod maximum est, introduci patet? Equidem, ne quid ex iis quae sentio taceam, aegide non opus fuisse puto ad duos Graecos interficiendos, si Trojanorum vel tres viros mortem oppetere necesse erat. — Videtur autem carmen decimum tertium versibus illis (328 – 366: nam locus qui sequitur 367 - 380

ab interpolatore additus esse videtur) vel eam ob causam carere non posse, quod versus 343 - 345 rem narrant, qua in hoc carmine nulla potest esse aptior. Graeci enim Trojanos vicerant et trans fossam repulerant. Quum igitur Juppiter Trojanis victoriam dare constituisset, nonne in hac victoria narranda id ipsum referendum erat, Trojanos iterum, fossa trajecta, Graecorum castra invasisse? Equidem *O* 1

αὐτὰρ ἐπεὶ διά τε σκόλοπας καὶ τάφρον ἔβησαν

et *O* 343 - 345

ὄφρ' οἱ τοὺς ἐνάριζον ἀπ' ἔντεα, τόφρα δ' Ἀχαιοί
τάφρῳ καὶ σκολόπεσσιν ἐνιπλήξαντες ὀρυκτῇ
ἔνθα καὶ ἔνθα φέβοντο

ad idem carmen pertinere judico. Hoc quominus Lachmannus quoque voluerit, nihil obstat, quum non ex decimo tertio carmine, sed ex decimo versus illos 328 - 366 ejiciat; sed utut haec res sese habet, de eo dubitari non posse puto, quin si versus 328 - 366 quarti decimi carminis sunt, ab hoc quoque carmine, id quod antea dixi, decimum tertium aliquot versus mutuos sumere cogatur. — Quanto simpliciora haec omnia ei esse videbuntur, qui, me secutus, decimo carmine intra *Λ* libri fines relegato, *O* 1 - 366 non tribus carminibus, (X, XIII, XIV) sed uni tantum (XIII) tribuet! Sicut autem versus 328 - 366 pars erant decimi tertii carminis, ita etiam versus 281 - 305 melius in decimo tertio quam in decimo quarto carmine legi, ex rerum atque sententiarum nexu probari posse puto. Nam quum *O* 302 Megis mentio fiat, equidem hunc locum ad idem carmen pertinere existimo, in quo mox idem Meges *O* 520 pugnat, id est ad tertium decimam. Cf. versus 301. 302 (Ajax, Teucer, Meges), 436 sqq. (Ajax, Teucer), 516 sqq. (Ajax, Meges). Nonne, sicut antea *O* 1 et *O* 343 - 345, ita nunc *O* 301 sqq. 436 sqq. 516 sqq. ejusdem carminis erunt?

Ea quae inde a *O* 381 usque ad *O* 591 leguntur, cuncta ad carmen decimum tertium pertinere, narratio bene continuata probare videtur, dummodo excipias versus 390 - 413, in quibus Patrocli et Eurypyli mentio fit. Ejectis igitur his versibus sic legamus:

385 *ἐπὶ πρύμνῃσι μάχοντο*
ἔγχεσιν ἀμφιγύοις αὐτοσχεδόν, οἱ μὲν ἀφ' ἵππων,
οἱ δ' ἀπὸ νηῶν ὕψι μελαινάων ἐπιβάντες
μακροῖσι ξυστοῖσι, τά ῥά σφ' ἐπὶ νηυσὶν ἔκειτο
ναύμαχα κολλήεντα, κατὰ στόμα εἱμένα χαλκῷ·
414 *ἄλλοι δ' ἀμφ' ἄλλῃσι μάχην ἐμάχοντο νέεσσιν.*
Ἕκτωρ δ' ἀντ' Αἴαντος ἐείσατο κυδαλίμοιο.

4) Jam de quarto decimo carmine nonnulla dicamus, quod primum in *Λ* libro aliquot locos complectitur: 497-520, 558-664, 763-766, 786-791, 804-848. Lachmannus versus 792. 793 non tetigit, quos tamen ex magno ut ita dicam naufragio servandos esse negabit, qui mecum, omissis iis quae Lachmannus omittenda judicat, Nestoris orationem leget. Quum enim versus 794-803 pro spuriis habeat (p. 64), is versuum ordo nascitur:

790 *ἀλλ' ἔτι καὶ νῦν*
ταῦτ' εἴποις Ἀχιλῆι δαΐφρονι, αἴ κε πίθηται.
τίς δ' οἶδ' εἴ κέν οἱ σὺν δαίμονι θυμὸν ὀρίναις
παρειπών; ἀγαθὴ δὲ παραίφασίς ἐστιν ἑταίρου.
804 *ὣς φάτο, τῷ δ' ἄρα θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ὄρινεν.*

id quod ferri non posse puto. Sed cur non versus 792. 793 et ipsos ejiciamus, quos ex *O* 403. 404 huc translatos esse crediderim?

Praeterea ex l. *O* versus 390-413 huc pertinent, in quo loco mihi quidem illud mirum esse videtur, quod quum iterum jam expugnaverint Trojani Graecorum castra, Patrocli sermones cum hac re minime quadrare videntur, quos post priorem moenium expugnationem multo aptiores fuisse contendo. Contra libri *Ξ* initium, nisi egregie fallor, aptius ibi legeretur, ubi Apolline adjuvante Trojani Graecorum moenia diruunt (l. *O*). Cf. *Ξ* 15

ἐρέριπτο δὲ τεῖχος Ἀχαιῶν

cum *O* 361

ἔρειπε δὲ τεῖχος Ἀχαιῶν
ῥεῖα μάλ'

Itaque fortasse versus *Ξ* 1-26 inter decimi quarti carminis fragmenta numerandi sunt.

Finitis autem iis, quae de libris *Λ* 1 — *O* 591 disputaturus eram, tabulam subjiciam, quae et Lachmannus quomodo hos libros in carmina distribuerit, quaeque mihi aliter disponenda esse videantur, patefaciet; quae tabula hanc certe ob causam accepta erit iis qui hanc scriptionem legent, quia quid Lachmannus voluerit, optime ante oculos ponit.

a (Lachm.)	b
Λ 1- 71 carm. X (Lachm. p. 37)	
72- 83 interp. (p. 37)	
84-192 carm. X (p. 38)	

	a (Lachm.)	
A	193. 194 interp. (p. 38)	
	195-207 carm. X (p. 38)	
	208. 209 interp. (p. 38)	
	210-496 carm. X (p. 38)	
	497-520 carm. XIV (p. 60)	497-520 fragm. carm. XIV
	521-539 carm. X (p. 39)	
	540-543 interp. (p. 39)	
	544-557 carm. X (p. 40)	
	558-664 carm. XIV (p. 60)	558-664 fragm. carm. XIV
	665-762 interp. (p. 61)	
	763-766 carm. XIV (p. 60)	763-766 fragm. carm. XIV
	767-785 interp. (p. 64)	
	786-793 carm. XIV (p. 60)	786-791 fragm. carm. XIV
	794-803 interp. (p. 64)	792-803 interp.
	804-848 carm. XIV (p. 60)	
M	1- 3 interp. (p. 45)	1- 3 interp.
	3-118 carm. XI	3- 81 carm. XI
	118-124 interp. (p. 46)	82-107 interp.
	124-126 carm. XI	108-174 carm. XI
	127-136 interp. (p. 46)	175-181 interp.
	137-140 carm. XI	182-339 carm. XI
	141-153 interp. (p. 46)	340. 341 interp.
	154-161 carm. XI	342-448 carm. XI
	162-174 interp. (p. 46)	449 interp.
	175-181 int. loco perd. fragm. crm. XI (p. 46)	450-471 carm. XI
	182-448 carm. XI	
	449 interp. (p. 46)	
	450-471 carm. XI.	
N	1- 91 carm. XII	
	92. 93 interp. (p. 19)	
	94-155 carm. XII	
	156-169 interp. (p. 50)	
	170-344 carm. XII	

	a (Lachm.)	b
N	345-360 carm. XIII (p. 52)	
	361-837 carm. XII	
Ξ	1- 26 interp. (p. 61)	1- 26 fort. fr. carm XIV
	27-152 interp. (p. 58)	27-152 interp.
	153-369 carm. XIII (p. 52)	153-369 carm. XIII.
	370-388 interp. (p. 58)	370-388 interp.
	389-441 carm. XIII	389-507 carm. XIII
	402-425 carm. X (p. 41)	508-522 fort. interp.
	426 interp. (p. 41)	
	427-429 carm. X (p. 41)	
	430. 431 interp. (p. 42)	
	432-507 carm. X (p. 42)	
	508-522 carm. XIII (p. 52)	
O	1-235.... carm. XIII	1-366 carm. XIII
	212-217 fort. interp. (p. 55)	367-380 interp.
	220. 221 carm. X (p. 42)	381-389 carm. XIII
	222-231 interp. (p. 42)	390-413 fr. carm. XIV
	232-257 carm. X (p. 42)	414-591 carm. XIII
	258-261 fort. carm. XIV (p. 63)	
	262-269 carm. X (p. 42)	
	270 fort. carm. XIV (p. 63)	
	271-280 carm. X (p. 42)	
	281-305 carm. XIV (p. 62)	
	306-327 carm. X (p. 43)	
	328-366 carm. XIV (p. 63)	
	367-380 interp. (p. 59)	
	381-514 carm. XIV (p. 63)	
	515-591 carm. X(p. 43)	

VI.

Lachmannus (p. 68) Hermanno assentitur, qui irritam Ajacis contra Trojanos, naves incendere tentantes, pugnam bis narrari censet, primum *O* 727 sqq., deinde *Π* 102; additque, eum qui priorem confecerit narrationem, multa nimis inconsulte

scripsisse. Quorum nonnulla (p. 68. 69) tam male cum reliquis cohaerere judicat, ut iis ejectis paucisque mutatis rerum verborumque nexum aptiorem reddendum esse censeat. Qua de re quum ab eo differam, et ejus rationes exponam et meam quae contrarium docere tentabit, ratiocinationem addam. Negat autem V. Cl. intelligi posse, quomodo Ajax, postquam reliquis navibus ipsoque ejus in qua erat tabulato relicto, in remigum (vel ut quidam explicant, in gubernatoris) scamnum se recepit, ex una illa nave non hanc solam sed in universum omnes defendere potuerit, neque, id quod existimares, telis in hostes jactis, sed cominus hasta feriendo (*οὐτάζων* non *βάλλων*). Concedo optime dici potuisse v. 743 *κοίλῃ ἐπὶ νηί* (p. 69) nam de una tantum nave agitur (cf. *Π* 1, *Ο* 704 sqq.), sed et v. 731 et v. 743 hac de causa mihi falsus esse non videtur pluralis numerus, quia eam navem quam Trojanorum proceres aggrediebantur defendendo universam classem, nisi egregie fallor, Ajax tuebatur. Res mihi haud aliter sese habere videtur, ac si quis moenia defendere dicatur, qui in una tantum turri adversus hostes hanc maxime aggredientes pugnet. Ut fieri solet, non eodem tempore ubique Trojani naves aggrediuntur, sed certum quendam locum summis viribus urgent, quo capto cetera jam facilius vinci posse sperant; is igitur, qui hunc locum defendit, omnia tuetur. Praeterea cf. *Π* 113 quem versum nemo emendavit. Jam ad alteram Lachmanni rationem me converto; pugnare scilicet inter se *βέλεα* v. 727 et quod v. 745. 746 *οὐτάσαι* dicitur Ajax; hoc enim eum voluisse et brevissima qua semper uti solet ipsius oratio indicare videtur, et Hauptius confirmat, quem propter hanc ipsam causam etiam *Π* 102-111 ejicere cognovi. Hic ad distinctionem ab Aristarcho inter *οὐτάζειν* et *βάλλειν* constitutam provocans, inde a v. 709 pugnam cominus factam describi monet, cui minime convenire *βέλεα* in Ajacem jacta. Sed quamquam melius etiam habeo, quo mihi Hauptium refutare posse videor argumentum, liceat tamen alium quendam afferre locum, de quo fortasse ambigi potest. Legitur enim *Ν* 550 sqq.

> *Ἀντίλοχος δ' ἐπόρουσε, καὶ αἴνυτο τεύχε' ἀπ' ὤμων*
> *παπταίνων· Τρῶες δὲ περισταδὸν ἄλλοθεν ἄλλος*
> *οὔταζον σάκος εὐρὺ πανaίολον, οὐδ' ἐδύναντο*
> *εἴσω ἐπιγράψαι τέρενα χρόα νηλέι χαλκῷ*
> *Ἀντιλόχου· πέρι γάρ ῥα Ποσειδάων ἐνοσίχθων*
> *Νέστορος υἱὸν ἔρυτο καὶ ἐν πολλοῖσι βέλεσσιν.*

Hic sane scholiasta: *καὶ ἐν πολλοῖσι βέλεσσιν*] *καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις. οὐ γὰρ νῦν βάλλεται, ἀλλ' οὐτάζεται. τάχιστα τὴν ἐνέργειαν αὐτοῦ δεδήλωκεν.* (Bekk. II 375 a 26)

Sed nonne hoc nimis breviter dictum esset: Nemo Antilochum vulnerare potuit, quia Neptunus eum in aliis quoque proeliis tuebatur. Fortasse erro, sed tamen hoc mihi durius videtur. Verum non opus est ut ad hunc locum confugiamus. V. 709 sqq. pugna cominus facta Trojanorum atque Graecorum describitur. Sed haec non pertinet ad Ajacem ipsum; id quod ex ratione qua armatus erat, patet. Vibrabat enim (*O* 677) *ξυστὸν μέγα ναύμαχον, δυωκαιεικοσίπηχυ.* Nonne eum ita armatum necesse erat tam remotum esse a Trojanis, ut hi, quum alios cominus aggrederentur (v. 709 sqq.) ipsum non aliter quam telis — *βέλεσσιν* — possent attingere? Sic intelligitur, quomodo fieri potuerit, ut vel ex recessu (v. 729 sqq.) Ajax pugnet. Idem Scholiasta voluisse videtur, qui ad v. 728 *ἀνεχάζετο* adnotat: *ὅπως τῷ μεγίστῳ χρήσηται δόρατι* (Bekk. II 436 a 20).

Nostram rationem qui sequentur *II* 122 verbum verbo reddentes explicare poterunt: cessit ex telis, sc. in eum conjectis, quum Hauptius interpretari cogatur: cessit extra teli conjectum; in quo cur id fecerit non apparet, si telis omnino non usi esse Trojani putantur

VII.

Lachmannus quinque Iliadis libros qui sunt inde a *Σ* usque ad *X* ab uno auctore profectos esse judicat, et ne quis hic quoque singula carmina distinguat, disertis verbis vetare videtur (p. 80. 84). Quod quum ne ego quidem facere velim, nonnulla tamen indicabo, quibus ad pristinam horum librorum formam, ut ita dicam, divinandam, aliquis uti possit. Observavi enim nonnulla, quae mihi hic quoque, sicut in reliquis libris, plura carmina ab aliquo conjuncta, non vero omnia ab uno poeta facta et elaborata esse persuadent.

Valde mihi a bonorum epicorum poetarum (vel paullo serioris aetatis) recta ratione aberrare videtur, si quis in narrando negligens est; id potius accommodatum est epicae poeseos indoli, ut longa fiat. *Σ* et *T* autem libri negligentiae in narrando commissae valde luculenta praebent exempla, in eo maxime posita, quod quum nova aliqua persona introducta est, quae aliquid dicat faciatve, saepe re, propter quam venit, absoluta, nulla amplius ipsius ratio habetur, sed prorsus negligitur a poeta. Sic statim initio *Σ* libri Antilochus ad Achillem venit (v. 16. 17); v. 32

Ἀντίλοχος δ' ἑτέρωθεν ὀδύρετο δάκρυα λείβων

apud Achillem est. Sed postquam Thetis ad Achillem venit, non amplius Antilochi mentio fit. Ejusdem vero rationis, quae mihi quidem parum epica esse videtur, clarius etiam exemplum habemus initio *T* libri.

Hic Thetis apud filium, cui nova arma a Vulcano facta attulit, commoratur, ut et ipsius vires augeat et Patrocli corpus a putredine defendat. Sed postquam Achilles in concionem abiit, nihil amplius de ejus matre accipimus; non in mare rediisse narratur, quod tamen haud dubie fecit, sicut Antilochum quoque mox ad suos rediisse verisimillimum est. Quodsi Antilochi tantum oblitus esset auctor, non mirarer; sed Thetidem quoque ab eo neglectam esse, cui hoc non videatur mirum? Jam vero sic ratiocinor. Quid magis verisimile est, quam compositoris, non inventoris horum carminum ingenio nos talia debere? Compositor carmina habet quae inter se jungat; fac eum hominem esse mediocriter circumspectum: ea quidem et videbit et delebit quae sibi aperte repugnant; multa fortasse addet, ne quid desit, quo necessario opus est ut carmen legi possit, sed non eo se animo poterit imbuere, quem veri epici poetae proprium esse ducimus. Sic in parvis fortasse rebus deprehendetur. Quodsi veri non est absimile, talibus vitiis imperfectum compositoris laborem cognosci posse, nonne eo adducimur, ut judicemus, ubi ejusmodi vitium reperitur, h. e. ubi compositor operam quam hoc ipso loco praestare debebat, non praestitit, ibi novum incipere carmen, non satis bene ab illo homine junctum cum reliquis? Hac autem rationes optime nostrum in locum quadrant. A versu enim 40 libri *T* usque ad v. 281 carmen legitur, quod *μήνιδος ἀπόῤῥησις* vocatur, quodque perfectissimum et absolutissimum est, ita ut vix quidquam, etiamsi volueris, addere possis. Et quam pulchre carmen incipit:

αὐτὰρ ὁ βῆ παρὰ θῖνα θαλάσσης δῖος Ἀχιλλεύς
σμερδαλέα ἰάχων, ὦρσεν δ' ἥρωας Ἀχαιούς.
καὶ ῥ' οἵ περ τὸ πάρος γε νεῶν ἐν ἀγῶνι μένεσκον,
οἵ τε κυβερνῆται καὶ ἔχον οἰήια νηῶν
καὶ ταμίαι παρὰ νηυσὶν ἔσαν, σίτοιο δοτῆρες,
καὶ μὴν οἱ τότε γ' εἰς ἀγορὴν ἴσαν, οὕνεκ' Ἀχιλλεύς
ἐξεφάνη, δηρὸν δὲ μάχης ἐπέπαυτ' ἀλεγεινῆς.

Postremo autem, omnibus quae et dicenda et facienda erant in illa concione, absolutis, quam sedate et graviter, quamque tamen, ut ita dicam, placide et tranquille inde a v. 276 universum carmen exit. Quis vero, qui hos duo versus legit:

καὶ τὰ μὲν ἐν κλισίῃσι θέσαν, κάθισαν δὲ γυναῖκας,
ἵππους δ' εἰς ἀγέλην ἔλασαν θεράποντες ἀγαυοί.

non hic finem carminis fuisse, rhapsodumque post hos versus paullulum a narrando requievisse mecum judicabit? Accedit, quod parvum hoc carmen iis quae Lachmannus

ut ultimis libris maxime propria annotavit, prorsus vacuum est. Sed non solum ante hoc carmen magnam deprehendimus poetae sive potius compositoris negligentiam, verum etiam postea similia reperiuntur. Nam quae proxime sequitur Briseidis oratio, ea quidem satis pulchra est; sed qui mox senes ad Achillem consolandum veniunt, hi quoque domum non redeunt! Scilicet describitur quomodo Achilles sese armaverit et in proelium profectus sit; quae quum addere vellet compositor, illorum de quibus antea locutus est hominum suo more prorsus oblitus est. Et, nisi fallor, ea ipsa quae apud Achillem facta esse referuntur, nonnullis locis paullo ineptiora sunt. Hortantur eum senes ut cibum sumat. Achilles vero se id facturum esse negat, et quum a ceteris impetret ut domum eant, nonnulli, inter quos Atridae, Nestor aliique, apud eum manent. v. 340 Jovem eorum miseret, mittitque Minervam ut Achilli nectar et ambrosiam afferat: *οἱ δὲ δὴ ἄλλοι οἴχονται μετὰ δεῖπνον,* quasi vero non multi apud eum remanserint, qui quum lamentando occupati coenari neglexerint, nec domi, nec apud Achillem cibo potuque recreantur. — Sed praeter haec alia quoque in his libris **Σ** et **T** reperiuntur quae simili prorsus ratione parum habilem nobis monstrant compositorem. **Σ** 310 finita Hectoris oratione, v. 314 pergitur:

δόρπον ἔπειθ' εἵλοντο κατὰ στρατόν· αὐτὰρ Ἀχαιοί
παννύχιοι Πάτροκλον ἀνεστενάχοντο γοῶντες.

Qui versus plures ob causas non satis apti esse videntur. Primum enim non bene dictum esse videtur: Troes coenabantur, Graeci vero per totam noctem lamentabantur. Dicendum erat: Troes coenabantur, deinde vero dormiebant, quum Graeci totam per noctem lamentarentur. Sed illud ne verum quidem esse videtur, totam per noctem lamentatos esse Graecos ob Patrocli mortem. v. 354 et 355 legimus:

παννύχιοι μὲν ἔπειτα πόδας ταχὺν ἀμφ' Ἀχιλῆα
Μυρμιδόνες Πάτροκλον ἀνεστενάχοντο γοῶντες·

hoc aptissime dictum est, nam ad Myrmidones Patroclus pertinebat; universos autem Graecos tanto hujus viri luctui se dedisse, mihi quidem persuadere non possum. Quum igitur duae causae, altera ex orationis legibus sumpta, altera ex rerum gestarum fide petita, vv. 314. 315 suspectos reddant, eos a compositore ad lacunam supplendam infelici conatu factos esse existimaverim. Sicut autem in **T** libro *μήνιδος ἀπόῤῥησις,* ita in **Σ** clypei descriptio epyllion constituere videtur, quod inter praestantissimas Iliadis partes jure numerari possit.

VIII.

In iis quae Lachmannus (p. 86 sqq.) de vestigiis dicit, quae Iliadis paullo diversae ab ea quam nunc habemus in ultimis carminibus reperiuntur, nonnulla etiam exponit de similitudine quae inter haec carmina et lib. *E* intercedit (p. 87). Quam comparationem magis etiam explicari posse judico. Jam singularem significavi similitudinem quae inter *E* 832-834 et *Φ* 412-414 intercedit. Horum locorum alter alterum fulcit; neuter alterius ope destitutus, satis clarus esset. Nam si eum tantum haberemus quem in l. *E* legimus, nesciremus utrum serio et ex animi sententia Minerva illa verba diceret nec ne; si contra solum haberemus libri *Φ* locum, quo tempore Mars Graecis favisset, ignoraremus. Junctis vero et inter se compositis duobus illis locis, clarius jam rem quam significant, perspiciemus. Pollicitus igitur erat belli Trojani tempore Mars Junoni atque Minervae se Graecos adjuturum esse; at mox Graecis se infestum, Trojanis amicum monstravit. Haec fabulae ceterum ignotae, ut videtur, vestigia, nonne conjunctionem quandam inter quintum librum et ultimos intercedere probant? Sed non solum de ultimis in universum hoc affirmare, verum etiam eos ipsos libros indicare licet, quibuscum quintus ille conjunctissimus est. Sunt *Υ* et *Φ*. In utroque carmine dii proelio intersunt; in utroque carmine duo eorum qui Trojanorum rebus favent, vincuntur. Nam ut in *E* libro Diomedes Martem vulnerat, adjuvante Minerva (*E* 855 sqq.) sic in *Φ* libro Minerva ipsa, quam Mars aggreditur, hunc deum profligat. (*Φ* 391 sqq.) Sicut vero in *E* Mars clamorem tollit qualis decem milium hominum fuisset (859), sic *Φ* 407 per septem jugera corpus ejus porrigitur. Et sicut *E* 330 sqq. Venus a Diomede vulneratur, similiter *Φ* 480 sqq. Diana turpissime a Junone pellitur. Possit aliquis existimare, me ad *E* 330 sqq. ejusdem potius deae, Veneris, infelicem sortem *Φ* 423 sqq. narratam adscribere debuisse; qui tamen exitum comparabit, quem Veneris in l. *E* et Dianae in l. *Φ* conatus habent, is quin mecum consentiat, non dubito. Nam ut *E* 370 legimus:

ἡ δ' ἐν γούνασι πῖπτε Διώνης δῖ' Ἀφροδίτη

sic *Φ* 506 legitur:

δακρυόεσσα δὲ πατρὸς ἐφέζετο γούνασι κούρη

et quam similia sunt quae sequuntur:

E 371 *η δ' ἀγκὰς ἐλάζετο θυγατέρα ἥν*
χειρί τέ μιν κατέρεξεν, ἔπος τ' ἔφατ' ἔκ τ' ὀνόμαζεν.
τίς νύ σε τοιάδ' ἔρεξε, φίλον τέκος, Οὐρανιώνων;

Φ 507 τὴν δὲ προτὶ οἷ
εἷλε πατὴρ Κρονίδης, καὶ ἀνείρετο ἡδὺ γελάσσας
τίς νύ σε τοιάδ' ἔρεξε, φίλον τέκος, Οὐρανιώνων;

Jam scholiasta has locos comparavit, qui (Bekk. schol. Il. II, 584 a 38) satis ludicram annotationem addidit: *ἀφελὴς ἡ διάθεσις καὶ μὴ πρέπουσα γυναικὶ καὶ μάλιστα παρθένῳ. ἢ τάχα ὡς θυγάτηρ τοῦτο ποιεῖ. ἡ δὲ Ἀφροδίτη οὐκ ἐν τοῖς γούνασι τοῦ Διὸς, ἀλλ' ἐν τοῖς τῆς Διώνης, καίτοι γεγαμημένη οὖσα. πῶς δὲ ἡ μὲν ἐμπίπτει, ἡ δὲ ἐφέζεται; ὅτι ἐκείνη διὰ τὸ καταπονεῖσθαι τῇ πληγῇ ἐφέζεσθαι οὐ δύναται·* — Denique cf. *Φ* 514 cum *E* 431, qui versus in utroque loco rerum in collo actarum narrationem concludit. Sed non solum deorum res in utroque carmine simillimae sunt, verum etiam hominum. Antea demonstrare studui, ex quinto Lachmanni carmine eos locos recidendos esse qui de aliis heroibus agerent, quo vera unius Diomedis *ἀριστεία* efficiebatur. Ultimos autem Iliadis libros quum in universum Lachmannus (p. 80) eo a reliquis differre dicat, quod praeter Achillem nemo Graecorum heroum excellat, hoc tamen de iis maxime valet in quibus pugnatur h. e. *Y* et *Φ*. Qui, quamquam *θεομαχία* et *μάχη παραποτάμιος* inscribuntur, aptissime tamen *Ἀχιλλέως ἀριστεία* appellari possent; sed quoquo nomine vocantur, id jam non dubium esse puto, quin magna similitudo inter eos intercedat et librum *E*. cf. etiam *E* 289 cum *Y* 78 et *E* 603 cum *Y* 98.

Étude sur André Chénier.

Poésies d'André Chénier; nouvelle édition. Paris, Charpentier 1847.
Œuvres en prose d'André Chénier. Paris, Gosselin 1840.

Une des choses qui, dans l'histoire de la littérature française, contribuent le plus à donner à cette manifestation du génie national un caractère différent de celui des autres littératures, c'est, à ce qu'il semble, une marche égale et rarement interrompue. Depuis son origine jusqu'à nos jours, la littérature française a subi bien des vicissitudes, les génies les plus divers y ont tour à tour marqué leur empreinte, et pourtant, soit qu'on remonte au moyen âge qui admira le Roman de la Rose et les chansons de Villon, soit qu'on s'arrête au siècle qui vit naître Racine, Molière et La Fontaine, soit enfin qu'on passe en revue les auteurs contemporains, on s'aperçoit toujours que c'est le même esprit qui a inspiré les productions les plus distinguées de chaque époque, et que tous ces écrivains ont dû sortir du sein de la même nation. En approfondissant un peu, on découvre facilement la cause de ce fait remarquable. Léger ou sérieux, railleur ou sentimental, l'auteur français en possession du suffrage public a une qualité dominante et qui frappe d'abord la vue: il est avant tout français. Cela veut dire que, pour le fond de ses idées, il est à la portée de tout le monde, et que, pour la forme, c'est la meilleure possible. Les auteurs français ont toujours suivi, avant même qu'il fût donné, le précepte de Boileau:

Que les vers ne soient pas votre éternel emploi . . .
C'est peu d'être agréable et charmant dans un livre,
Il faut savoir encore et converser et vivre.

Voilà ce qu'ils ont su faire; ils ont vécu constamment au milieu de la société, la frondant quelquefois, mais recevant toujours d'elle la plupart de leurs inspirations. Aussi la représentent-ils à toutes les époques; et ce qui leur a valu un succès plus ou moins éclatant, c'est d'avoir su exprimer les idées dominantes de leur siècle avec plus ou moins de bonheur et de talent. Ce serait donc, si mon observation est vraie, la continuité, pour ainsi dire, de la société française, qui aurait produit cette marche égale et peu interrompue, dont la littérature de la France peut se glorifier à juste